

CAPUT V.

bus vobis in eandem luxuria confusionem, blasphemantes.

5. Qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare vivos & mortuos.

6. Propter hoc enim & mortuis evangelizatum est: ut iudicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in Spiritu.

7. Omnium autem finis appropinquavit. **†** Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus.

8. Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.

9. Hospitales invicem sine murmuratione:

10. Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam ministrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.

11. Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum: cui est gloria, & imperium in saecula saeculorum: Amen.

12. Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat:

13. sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriae eius gaudeatis exultantes.

14. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriae, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus, super vos requiescit.

15. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienorum appetitor.

16. Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.

17. quoniam tempus est ut incipiat iudicium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?

18. Et si iustus vix salvabitur, impius, & peccator ubi parabunt?

19. Itaque & hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

Pastores primum, tum iuvenes instruit: illos, ut gregi invigilent; hos, ut subditi sint pastoribus.

1. Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior & testis Christi passionum: qui & eius, quae in futuro revelanda est, gloriae communicator:

2. pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanea secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie:

3. neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

4. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.

5. Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

6. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis:

7. omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

8. Sobrii estote, & vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret:

9. Cui resistite fortes in fide: scientes eandem passionem ei, quae in mundo est, vestrae fraternitati fieri.

10. Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passus ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.

11. Ipsi gloria, & imperium in saecula saeculorum: Amen.

12. Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi: obsecrans & contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis.

13. Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone coelecta, & Marcus filius meus.

14. Salutate invicem in osculo sancto: Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu. Amen.

† DOM. IN FRA OCTAV. ASCENS. * Prov. 10. 12. * Rom. 12. 13. Heb. 13. 2. * Phil. 2. 14. * Rom. 12. 6. * 1. Cor. 4. 2.

† UNIUS MART. NON PONTIF.

* Prov. 11. 31.

EPISTOLA B. PETRI APOSTOLI SECUNDA.

SCRIPTA est ad eosdem ad quos prior Epistola, quod liquet ex illis verbis: Hanc ecciam vobis secundam scribo Epistolam, cap. 3. idque anno Petri ultimo, cum certus iam esset de veloci depositione tabernaculi, sive corporis sui, 1. 14. Atque adeo Era. nostra anno 66. a morte Christi 33. Neronis 14. quo tempore Paulus cum Petro Romae captivus de tempore resolutionis suae, 2. Tim. 4. 6. per revelationem a Domino quoque admonitus, secundam ad Timotheum scripsit Epistolam.

In hac autem Epistola Petrus fideles hortatur ut fidem, etiam se mortuo, firmiter retineant; errorumque magistros longissime fugiant, quorum mores & studia depingit. De auctoritate huius Epistolae nonnulli olim dubitavere, quod stylus a priori paululum discrepare videretur. Verum etiam si id concedatur, nihil tamen aliud inde effici potest, quam ut intelligamus Petrum pro necessitate rerum, ait Hieronymus, diversis ulum inter-pretibus. Quod etiam de Paulo in Epistola ad Hebraeos supra demonstratum est.

Epist. ad Hedibian. qu. 11.

CAPUT PRIMUM.

Petrus hortatur fideles ut ad caelestia promissa contendant, & electionem suam per bona opera certam faciant; doctrinamque iis traditam veram esse ex divinis oraculis confirmat.

1. Imon Petrus, servus, & Apostolus Iesu Christi, iis, qui coaequalem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri, & Salvatoris Iesu Christi.

2. Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri:

3. quomodo omnia nobis divinae virtutis suae, quae ad vitam, & pietatem donata sunt, per cognitionem eius, qui vocavit nos propria gloria, & virtute,

4. per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donavit: ut per hanc efficiamini divinae confortes naturae: fugientes eius, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem.

5. Vos autem curam omnem subinfereutes, ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam,

6. in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem,

7. in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.

8. Haec enim si vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos

constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.

9. Cui enim non praesto sunt haec, caecus est, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.

10. Quapropter fratres magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: haec enim facientes, non peccabitis aliquando.

11. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri, & Salvatoris Iesu Christi.

12. Propter quod incipiam vos semper commonere de his: & quidem scientes & confirmatos vos in praesenti veritate.

13. Iustum autem arbitror quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione:

14. certus quod velox est depositio tabernaculi mei secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significavit mihi.

15. Dabo autem operam & frequentem habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.

16. Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & praesentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis.

17. Accipiens enim a Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum huiusmodi a magna gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.

18. Et hanc vocem nos audivimus de caelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.

liiii

19. Et

19. Et habemus firmiorem propheti- cum fermōnem : cui benefacitis attendē- tes quasi lucernæ lucēti in caliginoso loco donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cōrdibus vestris: ^A

^{* 2. Tim. 3. 16.} 20. hoc primū intelligētes * quod omnis prophetia Scripturæ propriā inter- pretatione non fit.

21. Non enim voluntate humanā allata est aliquandō prophetia: sed spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

CAPUT II.

Prophetis, de quibus superiori capite egit, falsos doctores opponit, ut Simonianos, & alios Haresarchas, qui mox exoriturū erant: eorum dogmata, corruptos mo- res, & imminens exitium animis fide- lium subjicit, ut ab iis caveant.

1. FUerunt verò & pseudoprophete in pōpulo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dō- minum negant: superducentes sibi celerem perditionem.

2. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur:

3. & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabantur: quibus iudicium iam olim non cessat: & perditio eorum non dormitat.

^{* Job 4. 18. Iude 7. 6.} 4. * Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reservari.

^{* Gen. 7. 1.} 5. Et originali mundo non pepercit, * sed octavum Noë iustitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens.

^{* Gen. 19. 25.} 6. * Et civitates Sodomorum, & Gommorrhæorum in cinerem redigens, ever- sione damnavit: exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens:

7. & iustum Lot oppressum à nefandō- rum iniuria, ac luxuriōsa conversatione eripuit:

8. aspectu enim, & auditu iustus erat: habitans apud eos, qui de die in diem ani- mam iustam iniquis opēribus cruciabant.

9. Novit Dōminus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem iudicij re- servare cruciandos:

10. magis autem eos, qui post carnem in concupiscētia immunditiæ ambulat, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placētes, sectas non metuunt intro- ducere blasphemantes:

11. ubi angeli fortitudine, & virtute cum sint maiores, non portant adversum se execrabile iudicium.

12. Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captiōnem, & in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in cor- ruptione sua peribunt,

13. percipientes mercēdem iniustitiæ, voluptatem existimantes diēi delicias: coin- quinaciones, & maculæ deliciis affluē- tes, in conviviis suis luxuriātes vobiscum,

14. oculos habentes plenos adultērij, & incessabilis delicti. Pellicientes animas in- stabiles, cor exercitatum avaritiā habē- tes, maledictionis filii:

15. derelinquentes rectam viam erravē- runt, * secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercēdem iniquitatis amavit: ^{* Iude 7. 11.}

16. correptionem verò habuit suæ ves- tiæ: subiugale mutum animal, * hōmi- nis voce loquens, prohibuit prophetæ in- spicientiam. ^{* Num. 22. 22. & vv. 23. 28.}

17. * Hi sunt fontes sine aqua, & ne- bulæ turbidibus exagitata, quibus caligo tenebrarum reservatur. ^{* Iud. 7. 12.}

18. Superba enim vanitatis loquentes, pellicunt in desiderijs carnis luxuriā eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur:

19. libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis: * à quo enim quis superatus est, huius & servus est. ^{* Ioann. 8. 34.}

20. Si enim refugientes coinquinaciones mundi in cognitione Dōmini nostri, & Salvatoris Iesu Christi, * his rursus impli- cāti superantur: facta sunt eis * posteriora deteriora prioribus. ^{Rom. 6. 16. & 20.}

^{* Hebr. 6. 4. 5. & 6. * Math. 12. 45.} 21. Melius enim erat illis non cognos- cere viam iustitiæ, quam post agnitio- nem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.

22. Contigit enim eis illud veri prover- bij: * Canis reversus ad suum vomitum: &, Sus lota in volutabro lutī. ^{* Prov. 26. 11.}

CAPUT III.

Primum eorum refellit errorem, qui iudicium futurum negabant. Tum iudicium differri docet, ut detur locus penitentiæ: postea laudat Paulum, & eius epistolas ait esse intellectu difficiles.

1. Hanc ecce vobis, charissimi, se- cundam scribo epistolam, in quibus vestram exco in commonitione sinceram mentem:

2. ut

2. ut memores sitis eorum, quæ præ- dixi verbōrum à sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum, præceptorum Dōmini & Salvatoris.

^{* 1. Tim. 4. 1.} 3. hoc primū sciētes, quod vē- nient * in novissimis diēbus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscēntias ambulantes, ^{2. Tim. 3. 1.}

^{Iude 7. 18. * Ezech. 12. 27.} 4. dicentes: * Ubi est promissio, aut adventus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ.

5. Latet enim eos hoc volentes, quod cæli erant prius, & terra, de aqua, & per aquam consistens Dei verbo:

6. per quæ, ille tunc mundus aqua inun- datus perit.

7. Cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.

8. Unum verò hoc non lateat vos, cha- rissimi, quia unus dies apud Dōminum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus.

9. Non tardat Dōminus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed pa- tienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti. ^{* 1. Thess. 5. 2.}

^{Apoc. 3. 3. & 16. 15.} 10. * Advēniet autem dies Dōmini ut sur: in quo cæli magno impetu transient,

elementa verò calore solventur, terra au- tem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.

11. Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, & pietatibus,

12. expectantes, & properantes in ad- ventum diēi Dōmini, per quem cæli ar- dentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent?

13. * Novos verò cælos, & novam ter- ram secundum promissā ipsius expecta- mus, in quibus iustitia habitat. ^{* Ipsi 65. 17. & 66. 22.}

14. Propter quod charissimi hæc ex- pectantes, satagite immaculati, & inviolati ei inveniri in pace. ^{Apoc. 21. 1.}

15. & * Dōmini nostri longanimitatem, salutem arbitramini: sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, ^{* Rom. 2. 4.}

16. sicut & in omnibus Epistolis, lo- quens in eis de his, in quibus sunt quæ- dam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & ceteras Scri- pturas, ad suam ipsorum perditionem.

17. Vos igitur fratres præcipientes custo- dite, ne insipientium errore traducti ex- cidatis à propria firmitate.

18. crescite verò in gratia, & in cogni- tione Dōmini nostri, & Salvatoris Iesu Christi. Ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.

